



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IX. Reliquiæ Sacræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Vestis mutatio interiorum cordis, atque animi, mutationem significat: idque monet, quantum habitus ille à vulgari habitu differt; tantum etiam vitam, & mores, discrepare debere. S. Dionysius lib. de Eccl. hierach. c. 6.

Cum Angelicum feramus habitum, unam cum diabolo militiam gerimus. Habitus quidem est angelicus; at vita mundana. S. Ephrem ad correct. eor. qui in clui vivunt.

TITULUS IX. RELIQUIÆ SACRÆ.

§ I.

Honorandæ, estimandæ.

Quid est, quod tenes in manu tua? Ex. 4. 2. Hæc virgâ, ejusque metamorphosi, significabantur vices Hebræorum, sive tres eorum status in Ægypto. Hebræi enim virgam, id est, sceptrum, & principatum tenebant, vivente, & regente, Josepho. Quod vitâ sancto virgâ hæc in terram projecta est, & versa in colubrum: quia Hebræi prius chari, post mortem Josephi exosi fuere Ægyptiis. Rursus hic coluber in virgam versus est, in manu Moÿsis: quia populo suo rursus sceptrum, libertatem, & dominationem, attulit. Hujus virgæ Mosaicæ partem inventam esse annò Christi 1008., ad eamque ex Gallia, Italia, aliisque provinciis, confluisse plurimos, narrat Baronius annò dicto. Cornelius hic.

Tulit quoque Moÿses ossa Josephi secum. Exod. 13. 19. Procopius hic: Hebræi, quia carnalia sectabantur, iusti sunt mirum accipere aurea, & argentea, vasa. Exod. 11. 2. Moÿses eligit iusti viri ossa, quæ præfert immentis Ægyptiorum thesauris.

Portaretur ab Angelis. Luc. 16. 22. S. Chrysostomus hom. de Lazaro: non suffecerat ad portandum pauperem unus Angelus; sed propterea plures veniunt; ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet unusquisque Angelorum tantum onus tangere. Ut nos sacras reverenter adimus reliquias, sic illi magna cum veneratione ulcerosum corpus attingebant. Significabant, quanti æstinent corpus, quod pro gloria DEI multa tulerat. Addit Chrysostomus, sed in sinum Abraham portatus est, ut illum tangeret. Did. Nisifer. 6. D. Quadr. §. 2.

Venit in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar. Joan. 4. 5. Citò illuc pergit, ut eam suâ præsentia honoraret. In illo prædio jacebant sepulta ossa Joseph. Jos. 24. 32. ibi tanta bona præstat. Nam ob Sanctorum reliquias in aliquo loco commorantes, multa habitatoribus illis bona Dominus largitur. Sylveira hic.

Vidi subtus altare etc. Apoc. 6. 9. Alluditur hic ad antiquum, & communem, Ecclesiæ ritum, quæ ex sanctione Felicis P. I. mandat, corpora Martyrum sepeliri sub altari, ut docent S. August. l. 11. de Sacerdot. Sac. Tom. II.

Etis, Anselmus, Richardus, &c. Quia Martyres DEO immolati instar holocausti: ut sepulchra eorum orantibus ad altare essent continuum excitamentum devotionis, virtutis, spiritudinis. Hinc Sacerdos accedens ad altare & osculans, dicit: *oramus te, Domine, per merita Sanctorum, quorum reliquias hic sunt.* Sylveira hic.

Nos, qui suspicimus reliquias Sanctorum, à Vigilantio appellamur cinerarii, & idololatæ; qui mortuorum hominum ossa veneremur. S. Hieron. epist. 53. adv. Vigilantium ad Riparium Presbyter.

Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit; basilicas Martyrum intrare non audeo: ita totus, & corpore, & animo, contremisco. Idem ibid.

S. Hieronymus in vita S. Hilarionis narrat: eum in Cypro prope urbem Paphum objisse, indeque post decem menses Helychium, Hilarionis discipulum, clam furatum fuisse corpus Sancti; & in Palestinam, ubi primum ejus monasterium fuerat, transtulisse; quod cum scemina sancta, Constantia, quæ in urbe Papho morabatur, audisset; statim præ mœrore ex tristi nuntio mortuam. Alterum è duobus signum illud, quod nobis in bonum factum est, persuadet; quod aut placitus Deo sit locus, aut sibi placitum facere velit; ad quem, tantæ sanctitatis virum, à sinibus terræ, mortuum, sepeliendumque, perduxerit. S. Bernardus in transitu S. Malachia.

Dicere tibi volo de alio thesauro, qui non dum est in cælis; sed est vobiscum in terra. Hic thesaurus est, reliquias, & corpora, amictorum; sive putrida sunt, vel recentia; sive conversa sint in cinerem, & pulverem, sive non: ipsa sunt certissimè thesaurus meus. Revel. S. Brig. l. 7. c. 4. Verba Chr.

Pragæ allatio prima reliquiarum, quas Carolus IV. in diversis mundi partibus magnis obtinuit precibus; easque aurò, argento & gemmis, pretiosissimè ornatas, donavit Ecclesiæ Pragensi. Inter illas DEI paræ Virginis cingulorum duorum partes duæ allatæ 2. Febr. S. Petri Apostoli baculi pars. S. Gregorii M. caput. S. Philippi Ap. brachium. S. Crucis partes duæ. S. Joannis Evang. pars tunice, S. Pauli Apost. pars baculi, S. Annæ digitus. S. Petri Ap. catenæ pars. DEI paræ pepi pars. S. Lucæ Evang. caput. S. Clementis Papæ M. catenæ. S. Stephani Protom. caput. Bolland. addit. ad 2. Jani Bb bb *

In translatione reliquiarum S. Faustæ V. M. cum cereos, & candelas, ad locum, unde transferenda, populus ferret; antequam levarentur, divinitus lumen in cunctis accensum: nec ullò vento ulla extincta, donec ad locum depositionis ventum esset. Boll. in addit. ad 4. Jan.

Caput unius Martyrum frequentèr in ignem projectum, nec in capillis ullum combustionis signum sensit. Nullus audebat intrare locum ubi sacra reliquæ servabantur, quem alicujus facinoris vel sola conscientia urgebat. Fornicarius, cum contingere eas vellet, sublevarunt se in altum, ut tangere non possit: Pœnitens attingit. Boll. 16. Jan. de SS. MM. Ord. S. Francisci.

Corpus S. Vincentii M. in campo projectum corvus protegebat; aves, lupum etiam, fugavit. A Daciano projectum in mare alligatis lapidibus, divinâ virtute ad litus refertur; à Christianis piè sepelitur. Robertus Rex Gall. immensa munera auri, atque argenti, & pretiosarum gemmarum, Henrico Imp. obtulit: at ille suscepit tantum librum Evangelii aureis lapidibus pretiosis insertum; ac phylacterium simile, continens dentem S. Vincentii Levitæ & M. Boll. 22. Jan. Phoenix: Lem. *Viget in cinere virtus.* Picinelli.

§. II.

Reliquia Sanctorum protegunt.

Tullit quod, Moyses ossa Joseph secum. Ex. 13. 19. Sic armati ascenderunt filij Israël de terra Egypti. Ejus merita, & reliquæ, pro muro, gladiò, custodia, Alvarez Illustr. 370.

Sanctorum corpora quòvis adam antinò, & inexpugnabili, murò nobis urbem communiunt, & hostium impetus propulsant. Neque verò tantum adversus hominum insidias, aut adversus fallacias dæmonum, utilis est nobis hæc possessio: sed & si nobis communis Dominus, ob peccatorum multitudinem, irascatur; his objectis corporibus continuo poterimus eum propitium reddere civitati. S. Chrysof. tom. 6. Laudatio MM. Egyptiorum.

Antiochena urbs ad Leonem Imp. inter alia scribit, ut refert Evagrius: quoniam civitas nostra muros non habet (sunt enim illi per indignationem dejecti) sacrosanctum corpus hoc S. Simeonis Stylitæ adduximus; ut nobis murus sit, & munitio. Raderus Virid. SS. p. 3. c. 4.

Petrus I. Aragonum Rex in prælio contra barbaros, ad propitiandum Numen, corpus S. Victoriani in castris habuit. Cæsa ex hostibus quadraginta millia. Boll. 12. Jan.

§. III.

Reliquia salubres animæ, & corpori.

DUm corpus S. Simeonis Stylitæ ad funus portarent, quinque circiter milliaribus ab Antiochia, confiterunt mulæ, quæ Sanctum portabant. Ad dextram enim viæ illius erat monumentum, in quo habitabat viæ quidam. Perditè quippe amaverat matronam conjugatam, vi-

ginti integros annos; neque eâ valuerat potiri. Matrona tandem obit, inque illo monumento sepulta est. At ille in mortuo corpore in monumento libidinem explevit. Nec mora: oculus à dæmone possessus, quasi compedibus constrictus fuit, & detentus in monumento. Assiduè igitur sedens in gradibus monumenti à multis viatoribus visitabatur, cibòque fovebatur. Cum S. Simeon ad eum locum delatus, repente stante rhedâ, ex monumento cursim ascendit, vociferans: misere mei S. Simeon! & prehensâ rhedâ statim inde se moverunt mulæ: omnesque DEUM laudaverunt, ipse factus eremita. Bollandus 5. Jan.

Varii cæci, aquâ, quâ S. Eduardus Conf. Rex Angliæ, manus laverat, vel tactu ejus, visum receperunt. Bolland. 5. Jan.

Febricitantibus multis terra, quæ circa S. Gerlaci Eremitæ ossa in tumulo jacuit, in potum data; plurimique sanati. Mulier quædam de sepulchro ejusdem Sancti pulverem furtivè sustulit, & in peplò ligavit, & in usum probabiliter non bonos committere cogitavit. Ecce virtus divina terram illam in speciem sanguinis commutavit, ut per pepli fimbrias cruor destillaret. Boll. 5. Jan.

In templo Residentiæ in oppido S. Spiritus, pars est reliquiarum S. Mauritii Thebææ Legionis Ducis: has Brasili magnò honore prosequuntur, earumque opem sæpe in suis necessitatibus experiuntur. Nunquam enim illæ in supplicatione ad pluviam petendam deferuntur, (deferuntur autem sæpius) quin copiosa cœlò descendat pluvia. P. Janicus thes. rer. Indic. tom. 2. c. 30.

S. Felicis Presbyteri Nolani exuvia salutarem exudant liquorem; quem Nolani manna vocant. Præcipuè oculis medetur. Ex ejus copia futuræ ubertatis præsagium sumunt: adversa metuunt, si tenuior. Boll. 14. Jan.

S. Joannis eleemosynarii reliquæ salutiferum unguentum sudârunt. Boll. 23. Jan.

§. IV.

Reliquia Christum D. concernentes.

Constantinus maximam columnam Româ advectam statuit, & sub basi duodecim cophinos, & septem sportas, nec non reliquias septem panum, quibus Christus multitudinem pavit. Nicephorus Calixtus l. 7. c. 49. Anno 1013. Monachi quidam ab Jerosolymis particulam lintei, quò pedes Discipulorum salvator lavit, attulerunt: plurimis non credentibus eam in ignem imposuerunt; & remotis carbonibus, integra retraxerunt: argento, auro, gemmisque, nunc includitur; eaque populus reverens adorat, & exosculatur. Leo in Chronico Cassin. l. 2. c. 34.

Inter thesauros S. Patricii, baculus aurò teclus, gemmis pretiosis adornatus: quem JESUS ipse manibus tenuerit, & formârit. Ex vita S. Malachiæ Ep.

Catinus

Catinus ille, in quo Agnus Paschalis mensæ illatus, ex Smaragdo confectus, colitur devotè Genue. Sylveira in Matth. 26 c. 4.

Tunica Christi inconsutilis Treviris magnâ veneratione colitur. Sylveira in Joan. 19. c. 14.

Spongia Christo porrecta religiosè servatur Romæ in Basilica Lateranensi. Idem ibid. cap. 18.

Miscellanea.

Iustorum reliquiæ virtutes sunt. S. Ambros. in Pf. 36.

Grata quidem contentio multorum de reliquiis Sanctorum: utinam de eorum virtutibus imitandis par foret contentio. Alvarez Illustr. 352.

TITULUS X. RENOVATIO SPIRITUS.

§. I.

Figura, & Similitudines.

Ex Veteri.

Ablactatus est, fecit que Abraham grande convivium in die ablactationis. Gen. 21. 8. Meritò quaeritur: cur Abraham, nec die, quò natus est ei filius; nec die, quò circumcisus; sed die, quò ablactatus est, epulum fecerit? Quod, nisi ad aliquam spiritualem significationem referatur, nulla solutio quaestionis est. Tunc scilicet debere esse magnum gaudium spiritualis ætatis, quando fuerit homo factus novus spiritualis. S. August. lib. 1. quaest. Sup. Gen.

Mensis iste Nisan. Ex. 12. 2. id est, Aprilis, verna temperies, cum tellus reflorescit, totusque, post hyemem quasi post senium, rursus juvenescit orbis; nonne sensatum hominem docet; quatenus renovatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, & charitate floridus, Paschalis Agri epulis interfit spiritualibus? S. Rupertus Abb. 1. 2. in Ex. 5.

In Calendis autem offeretis holocaustum Domino &c. Num. 28. 11. Neomenia festivitas appellatur cum luna innovari cœperit, & soli proxima fuerit, penitusque conjuncta. Sol iustitia Christus est: huic si luna, id est, Ecclesia sua, quæ lumine ipsius repletur, conjuncta fuerit, & penitus ei adhererit; tunc festivitatem Neomenia agit. Tunc enim nova efficitur, cum abjecerit veterem hominem; & induta fuerit novum; qui secundum Deum creatus est. Orig. hic. Quares: cur Deus influerit Neomeniam? Nota: Calendæ erant prima dies mensis, quæ & Neomenia, sive Novilunium, dicitur. Quartam causam dat Cornelius: ad legem Dei, & ea, quæ illò mense agenda erant, in tabernaculo audiendum. Hac de causa & apud Romanos in Calendis consuebant in urbem: ut quisque disceret, & intelligeret; quid eò mense in divinis, humanisque rebus, faciendum incumberet. Hac commode applica primæ Dominicæ mensis; quæ Christiani religiosiores solent spiritum innovare, confiteri, communicare; Deo pro beneficiis mense elapsò gratias agere; eique auspicia mensis, totumque mensem, offerre, & prospera in eo petere. Cornelius hic in Num. 28.

Facite plaustrum novum unum. 1. Reg. 6. 7. Cur novum? cum festinationem requirerent,

potius vetus aliquod assumendum. Respondent Dionys. Lyran. Abul. ita factum, propter reverentiam arcæ; nè Christianus in animam, multis vitis inveteratam, Christum inducat. Mendoza hic.

Emitte spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terræ. Pf. 103. 30. quæ inveteratur in hyeme propter frigus; sed in fervore æstatis, id est, charitatis, renovatur. Renovari dicitur terra, quando herbæ pullulant: herba est propositum bonum. Item renovatur, per flores, id est, per orationes, & operationes contemplativæ. Item renovatur, quando gelicidium resolvitur in aquas, id est, in lacrymas flante austrò. Flabit spiritus ejus; & fluent aquæ. Pf. 147. 19. Item renovatur, quando aquæ, occupantes agros, desiccantur, id est, delectationes carnales. Gen. 8. 1. adduxit Dominus spiritum super terram, & imminuta sunt aquæ. Hugo Card. in Joan. 13. 34.

Cantate Domino canticum novum. Psal. 149. 1. Admoniti sumus, Domino cantare canticum novum; Homo novus novit canticum novum. Canticum res est hilaritatis: & si diligentius consideremus, res est amoris. Qui ergo novit novam vitam amare, novit canticum novum cantare. S. August. serm. 2. de diversis. Vetus homo, vetus canticum; novus homo novum canticum. - Quisquis terrena diligit, vetus canticum cantat: qui vult cantare canticum novum, diligit æterna. S. August. hic. Redempti à Domino cantate ei canticum novum. Ille novum canticum resonat, qui, relictiis peccatis, novam vitam bonis operibus inchoat. S. Honorius s. in die Paschæ.

Hortus conclusus sivor mea. Cant. 4. 12. Hæc de quavis anima intelligit Hugo Card. Haylgrinus, Justus Orgelii. Sim. Cass. l. 13. in Evang. hortus ab oriendo dictus est. Quantacunque enim diligentia hortum cures, semper in illo videas lolium, & urticas, oriri: ut necesse sit ad manus habere forficem, sarcolum, ligonem. &c. Did. Niss. Vit. Abr. lib. 6. cap. 8.

Offa arida audite verbum Domini. Ezech. 37. 4. 5. Ecce ego intromittam in vos spiritum; & vivetis. &c. Cur ex putridis ossibus viventes homines excitantur, & non potius de novo efformantur? Dei potentiam non magis illustrat, ex vetustate novitatem excitare; quam de nihilo adstruere novitatem. Esobar t. 2. Persec. Chr. l. 12. Sect. 1. Obs. 2.

Bbb b 3

Ex